nandæ, mutuæ fidelitatis tuendæ, & prolis ex præſcripto Dei educandæ.

Scholaſtici Doctores intactam venerandæ Patrum antiquitati quæſtionem ventilant, utrum Sacramenta gratiam Dei phyſice producant, an moraliter? Id eſt, utrum gratia ſit ipſis Sacramentis affixa, an vero immediate a ſolo Deo producatur ad præſentiam Sacramenti, quemadmodum pecuniæ aut ſtipendii perſolutio ad exhibitionem ſcripti inſtrumenti vel chirographi vel teſſeræ? Veruntamen non eſt inſtituti noſtri his immorari, in quibus poſt innumeras & prolixas ultro citroque rationum concertationes nihil certum, nihil evidens, nihilque prorſus exploratum elucеſcit.

22. Seſſionis iſtius 7. cap. 8. de reform. *Locorum Ordinarii Eccleſias quaſcunque quomodolibet exemptas auctoritate Apoſtolica ſingulis annis viſitare teneantur, & opportunis juris remediis providere, ut quæ reparatione indigent, reparentur; & cura animarum, ſi qua illis immineat, aliiſque debitis obſequiis minime defraudentur; appellationibus, privilegiis, conſuetudinibus etiam ab immemorabili tempore præſcriptis, judicum deputationibus, & illorum inhibitionibus penitus excluſis.*

Et hæc quidem de exemptis Eccleſiis; at vero de perſonis exemptis, hoc idem Concilium ſeſſ. 21. cap. 8. ita decernit: *Ut quando regularium exemptorum Prælati ſuo deſunt officio circa ipſorum correctionem, ſi admoniti intra ſex menſes non correxerint ſubditos, tunc Epiſcopi, ut Sedis Apoſtolicæ delegati, corrigere poſſint ac viſitare, prout poſſent Prælati regulares juxta eorum inſtituta; quibuſcunque appellationibus, exceptionibus & privilegiis remotis.* Require ſuperius quoad regularium delicta extra clauſtrum commiſſa, quæ ab Ordinario puniri poſſunt, ſeſſionis 6. cap. 3. de reform. cui ſimile decretum adjunximus Concilii generalis Lugdunenſis ſecundi.

Ejuſdem ſeſſionis 7. cap. 10. de reform. vetatur Capitulis vacante ſede intra annum dimiſſoria ad Ordines concedere, niſi illis qui beneficii recepti vel recipiendi occaſione arctantur.

Ejuſdem ſeſſ. 7. cap. 13. de reform. decernitur, non eſſe inſtituendos electos, aut præſentatos vel nominatos ad quæcunque beneficia, niſi prius fuerint ab Ordinariis locorum examinati & idonei reperti.

23. Ad finem hujus ſeſſionis 7. ingruente peſtilenti morbo apud Tridentum, quæſitum eſt, num adhuc Tridenti perſiſtendum eſſet in proſecutione Concilii, an vero urgente periculo alium in locum eſſet transferendum, juxta conceſſam transferendi alio facultatem per Bullam Pauli III. Pontificis, quandocunque ſacra Synodus juſtam eſſe transferendi alio cauſſam definiret: quæ Bulla fuerat Romæ expedita Incarnationis Dominicæ anno milleſimo quingenteſimo quadrageſimo quarto, octavo Kal. Martii. Hac in re conſulti ſacræ Synodi Medici Hieronymus Fracaſtorius Veronenſis, & Balduinus de Balduinis de Berga, ſcripto atteſtati ſunt evidentem eſſe Tridento diſcedendi neceſſitatem. Quæ omnia (inquit Henricus Spondanus) continentur in actis Archiepiſcopi Aquenſis Antonii Fillioli. Itaque ſeſſione Concilii 8. ſciſcitantibus Apoſtolicis Legatis Joanne Maria de Monte Epiſcopo Præneſtino, & Marcello Cervino tituli Sanctæ Crucis Presbytero Cardinalibus, (tertius quippe Legatus Reginaldus Polus Sanctæ Mariæ in Coſmedim Diaconus Cardinalis aberat) num placeret, Sacrum Concilium Tridento Bononiam transferri? Reſponſumque fuiſſet placere. Cumque eſſent Epiſcopi circiter ſexaginta, Cardinalis Paciecus Hiſpanus cum aliis quindecim Epiſcopis Cæſareæ partis diſſenſit; & Cæſareus Orator iſtis diſcedere prohibuit, donec certior factus fuiſſet, quid Carolus Cæſar fieri cuperet, ſignificaſſet. His igitur Tridenti perſiſtentibus, nec tamen quidquam decernentibus in commune, ſchiſmatis vitandi cauſſa, quale olim invexerat Joannes Antiochenus cum ſubjectis ſibi Epiſcopis adverſus œcumenicam Synodum Epheſinam, cui præerat Apoſtolicus Legatus Cyrillus Alexandrinus. Duo igitur Legati præcedente elata cruce, reliquis Patribus comitantibus, Tridento abſceſſerunt, & Bononiam conceſſerunt: in qua nonam Concilii auſpicati ſunt Seſſionem, approbante Paulo Pontifice: Carolo autem Imperatore, qui nolebat extra Germaniæ fines Concilium haberi, his, qui Tridenti ſubſtiterant, prohibente inde diſcedere. Duæ celebratæ ſunt in civitate Bononienſi ſeſſiones Concilii nona & decima, in quibus nihil ſpeciale decretum præter Concilii prorogationes. Poſt habitam iſtam decimam Seſſionem die 2. menſis Junii ann. 1547. graves ſupervenere inter Pontificem Paulum & Carolum Cæſarem ſimultates, pro ditione Parmenſis & Placentinenſis, quam Paulus Pontifex ab Eccleſiæ Romanæ dominio in filium ſuum Petrum Aloiſium, quem conſpirantes poſtmodum Nobiles Placentini trucidarunt, tranſtulerat; Paulus vero hаſce ambas Æmiliæ civitates aliis duabus permutaret, Camerino & Nepe, quas Carolus Cæſar ad ſe pertinere quaſi partes Mediolanenſis Ducatus contendebat. His advenientibus diſſidiis, & Farneſiæ familiæ (cujus Paulus Pontifex ſtipes & pater erat) calamitatibus, interruptum fuit Concilium, nec reſumptum, niſi ſub Julio tertio, quem Paulus habuit Pontificiæ dignitatis ſucceſſorem.

24. Noſtri porro Antonii Fillioli, cujus tanta fuerat in omnibus ſub Paulo habitis Tridentinis Seſſionibus, tamque illuſtris exiſtimatio & auctoritas, nullibi deinceps mentio habetur. Sed Aquaſſextias e Tridento regreſſus, multa ſecum detulit Concilii apud Tridentum acta autentica, quæ in tabulario ædium Archiepiſcopalium aſſervantur, quæ quia permultum ad hiſtoricam hujus Concilii cognitionem conferunt, hic ſubjicere viſum eſt.

XXII. Decembr. M. D. XLV.

25. Fidem facio ego Notarius infra ſcriptus, quod anno a Nativitate Domini 1545. die vero 22. menſis Decembris Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris & Domini noſtri Domini Pauli divina Providentia Papæ III. anno 12. in generali Congregatione ſacræ Synodi, ad propoſita per reverendiſſimum in Chriſto Patrem Dominum Archiepiſcopum Aquenſem, & Reverendum in Chriſto Patrem Dominum Epiſcopum Agathenſem de expectandis Oratore ſereniſſimi Domini Francorum Regis Chriſtianiſſimi, ac regni ſui Prælatis, ipſa ſacra Synodus reſpondit: Quod tam quoad ipſa propoſita, quam quoad reliqua omnia, habebit ſemper rationem Chriſtianiſſimi Regis, quantum ſecundum Deum, & rectam rationem, & honorem ipſius Synodi fieri poterit. Hortatur autem & rogat Majeſtatem ſuam, ut conſiderans, quam expediat hoc tempore celebrationem Concilii non differri, velit ac dignetur quantocius mittere Legatum ſive Oratorem ſuum, & excitare Prælatos regni ſui, ut veniant ad Concilium, jam Dei munere inceptum, cum magna omnium Chriſti fidelium lætitia. Super quibus ipſa ſacra Synodus injunxit mihi fieri unum vel plura, publicum vel publica inſtrumentum ſeu inſtrumenta. Acta fuerunt iſta Tridentina in civitate, anno, menſe, die, & Pontificatu, quibus ſupra, præſentibus viris Reverendis Domino Sebaſtiano Picchino Auditore Rotæ, & Hercule Senerolo Concilii promotore, teſtibus ad præmiſſa vocatis. Et inferius: Ego Claudius della Caſa Clericus Tullenſis Diœceſis, publicus Apoſtolica & Imperiali auctoritate Notarius, necnon actorum ſacri Concilii Notarius, publicum hoc inſtrumentum manu aliena mihi fida ſcriptum ſubſcripſi, ſignoque meo ſolito munivi rogatus. †.

X. Menſis Aprilis M. D. XLVI.

26. In Dei nomine, Amen. Cum ſacroſancta œcumenica & generalis Synodus Tridentina conſideraſſet quamplurimos abuſus in populo Chriſtiano circa ſacros Codices ob malignitatem temporum & pravorum hominum impietatem irrepſiſſe, & ob id non parum detrimenti plebi Dei acceſſiſſe: omnem zizaniam ex agro Domini delere cupiens, die Veneris quinta menſis Martii anno a Nativitate Domini 1546. in generali Congregatione Reverendiſſimum in Chriſto Patrem Dominum D. Antonium Fillioli Archiepiſcopum Aquenſem, & Reverendos Patres Dominum Marcum Viguerium Senogallenſem, D. Joannem Thomam de Sancto Felicio Cavenſem, D. Joannem Fonſecam Caſtellimaris, D. Petrum Bertramnum Janenſem, D. Cornelium Muſſum Bitontinum, & D. Didacum de Alga Aſtoricenſem reſpective Epiſcopos: necnon venerabiles fratres Alfonſum de Caſtro Ordinis Minorum de Obſervantia, Ambroſium Catharinum Politum Ordinis Prædicatorum, & Richardum Cenomanum etiam Ordinis Minorum de Obſervantia, S. Theologiæ Doctores & Magiſtros, ad dictos abuſus tam quoad vetus quam quoad novum Teſtamentum colligendos, & eis opportuna remedia invenienda, quos & quæ deinde ſacræ Synodo in generali Congregatione referre debeant, deputavit & conſtituit. Cum autem dicta ſacra deputatio per nonnullos dies exacta cura & diligentia complures abuſus ſupradictos collegiſſet, & unicuique eorum conveniens & decens remedium adhibuiſſet & applicaſſet, eoſque abuſus & remedia in generali Congregatione, die Mercurii decima ſeptima ejuſdem menſis, Patribus oſtendiſſet & obtuliſſet, ipſa ſacra Synodus decretum ſuper iiſdem abuſibus & remediis conficiendi curam & provinciam eiſdem ſupra nominatis Dominis Deputatis in generali Congregatione die Sabbati tertia Aprilis demandavit. Ceterum cum ipſa ſacra deputatio dictum decretum ſeu decreta confeciſſet: & generali Congregatione die Lunæ quinta Aprilis Patribus legiſſet & oſtendiſſet, ſacræ Synodi judicio & cenſuræ in omnibus ſe ſubmittens, ipſa Synodus attenta dominorum Deputatorum prælatorum ſingulari erga religionem Chriſtianam pietate & zelo, & circa ſacras Litteras & Jus Canonicum conſummata doctrina & experientia, prædictum decretum ſeu decreta firmanda, aptanda, & ultimam eis manum imponendam, a ſupradictis Dominis Deputatis, una cum Reverendiſſimis & Illuſtriſſimis Dominis Præſidentibus & Legatis, eſſe in generali Congregatione die Mercurii ſeptima dicti menſis Aprilis decrevit. Quæ omnia cum vera ſint & in actis Concilii notata fuerint, ego Angelus Maſſarellus Sancto-Severinas Clericus Camerinenſis diœceſis, Juris utriuſque Doctor, dicti ſacri Concilii Secretarius, & Protonotarius Apoſtolicus, de eiſdem votis per præſentes manu mea propria ſcriptas & ſubſcriptas fidem facio indubitatam. Datum Tridenti, die decima menſis Aprilis ejuſdem, anno a Nativitate Domini milleſimo quingenteſimo quadrageſimo ſexto ut ſupra, Pontificatus ſanctiſſimi in Chriſto Patris & Domini noſtri Pauli divina Providentia Papæ tertii anno duodecimo. Idem Angelus Maſſarellus de quo ſupra. †.

XXV. Septembris, M. D. XLVI.

27. In Chriſti nomine Amen. Poſtquam Decretum de peccato originali in hoc ſacro Sancto Concil. editum & publicatum fuit in 5. Seſſione die Jovis 17. menſis Julii anno Domini 1546. Reverendiſſimi & Illuſtriſ. Domini ſacri Concilii Præſidentes & Legati ſucceſſive articulum de juſtificatione examinandum propoſuerunt. Quod factum eſt in generali Congregatione die Mercurii 30. ejuſdem menſis Julii. Qui quidem Articulus trifariam ab ipſis Reverendiſſimis & Illuſtriſ. Dominis Præſidentibus diviſus Patribus in ipſa Congregatione propoſitus eſt, videlicet circa tres ſtatus hominum adultorum, infidelis vel impii, fidelis juſtificati, & peccatoris relapſi. Quorum ſtatuum primus ſeparatim ab aliis duobus a Patribus Concilii diſputatus & examinatus eſt. Super quo primo ſtatu Patres ſententias dixerunt, per octo continuas congregationes, a die videlicet quinta menſis Julii, uſque ad diem Martis decimam tertiam ejuſdem: Cum autem Reverendiſſimus Pater & Dominus D. Antonius Filliolus, Archiepiſcopus Aquenſis, & primas ſit & caput omnium Prælatorum in hoc ſacro Concilio exiſtentium, (Reverendiſſimis & Illuſtriſ. Cardinalibus exceptis) ipſe Reverendiſſimus Archiepiſcopus Aquenſis poſt Reverendiſſimum & Illuſtriſſimum Dominum Cardinalem Giennenſem, ſuam ſuper hoc articulo & primo ſtatu juſtificationis protulit, & in ſcriptis exhibuit ſententiam, quæ cum ut Catholica & pia ab omnibus laudaretur, omnes quotquot adfuerunt patres in octo illis congregationibus, de quibus ſupra, tam Archiepiſcopi quam Epiſcopi, quam abſentium procuratores, Abbates, & Generales Ordinum, dum vota & ipſi ſua proferrent, in eandem dicti Reverendiſſimi Archiepiſcopi ſententiam devenerunt: paucis admodum exceptis, qui vel ex diverſitate verborum, vel ex intellectu & interpretatione Scripturarum, non idem ad unguem uſque dixerunt vel ſenſerunt: licet nihilominus & ipſi ſacræ Synodi judicio & cenſuris ſe remiſerint. Qua ratione omnes idem ſentire dicendum eſt. Hoc primo ſtatu abſoluto, iidem Reverendiſſimi & Illuſtriſ. præſidentes ſuper ſecundo & tertio ſtatibus juſtificationis ſupradictæ vota a patribus rogarunt. Qui duo ſtatus per novem continuas congregationes generales examinati & diſcuſſi fuerunt, a die videlicet Jovis XV. dicti menſis Julii uſque ad diem Veneris XXIII. Super quibus duobus ſtatibus idem Reverendiſſimus Archiepiſcopus Aquenſis poſt Reverendiſſimum & Illuſtriſ. Domin. Cardinalem Giennenſem, ut dictum eſt, omnium Prælatorum caput, ſententiam ſuam protulit, & ſimiliter in ſcriptis exhibuit: quæ cum ſimiliter ab omnibus tamquam Catholica commendaretur, in eam ut in aliam fecerant, omnes facillime, dum vota & ipſi ſua protulerunt, deſcenderunt, paucis, ut dictum eſt, exceptis, qui eodem modo vel verbis diverſis, vel Scripturam intellectu & interpretatione alia non idem ſenſerunt, vel dixerunt, ſe nihilominus ſacræ Synodi cenſuræ & judicio ſubmittentes, ita ut a communi Patrum ſententia diſcedere noluiſſe oſtenderent. Quæ omnia cum vera ſint, a me Angelo Maſſarello de Sancto Severino, his omnibus congregationibus ſupradictis præſente & intereſſente, ut Concilii Secretario, & Protonotario Apoſtolico annotata fuerunt, ea ipſa omnia in hanc patentem formam redegi: & de his omnibus univerſis, ad quos præſentes pervenerint, fidem facio indubitatam. Datum Tridenti die XXV. menſis Septembris, anno Incarnationis Dominicæ M. D. XLVI.

Idem Angelus Maſſarellus de Sancto Severino Secretarius Concilii & Protonotarius Apoſtolicus qui ſupra manu propria. †.

Die I. Octobris M. D. XLVI.

28. Quoniam inter alia, quæ ad Concilii celebrationem præcipua requiruntur, maxime neceſſarium eſt, ut in loco, in quo Concilium celebratur, magna annonæ copia habeatur, atque omnia alia ad victum opportuna affluant: ac illud in primis curandum eſt, ne res cariori pretio, quam deceat & æquum ſit, vendantur, neve hoſpitia injuſta & indebita mercede conducantur. Igitur ſacroſancta œcumenica & generalis Synodus Tridentina die Jovis XXIII. menſis Septembris anno Domini M. D. XLVI. Reverendiſſimum Patrem Dominum D. Archiepiſcopum Aquenſem, & Reverendos Dominos Hieronymum Theodorum Gaditanum, & Joannem Fonſecam Caſtellimaris, & Galeatium Florimontium Aquitanenſem, reſpective Epiſcopos in generali congregatione elegit & deputavit; qui una cum Reverendo Domino D. Jacobo Jacobello Epiſcopo Bellicaſt. Commiſſario Apoſtolico, dictæ annonæ procurare copiam, rebus honeſtum pretium imponere, ac ut locationibus & conductionibus hoſpitiorum juſta merces perſolvatur, necnon alia hujuſmodi, quæ circa ea neceſſaria ſunt, facere & procurare debeant. Et cum ſupra ſcripta omnia a me Angelo Maſſarello de Sancto Severino Camerinenſis diœceſis, ut Concilii Secretario & Protonotario Apoſtolico, dictæ Congregationi præſente, in actis Concilii adnotata fuerint, ex eiſdem actis ſupra ſcripta extraxi, ac de eis omnibus, ad quos præſentes mea manu propria ſcriptæ & ſubſcriptæ pervenerint, indubitatam fidem facio. Datum Tridenti die 1. Octobris anno Domini M. D. XLVI.

Idem Angelus Maſſarellus ſacri Concilii Tridentini Secretarius & Protonotarius Apoſtolicus manu propria. †.

Die XII. Octobris M. D. XLVI.

29. Cum ſacroſancta œcumenica & generalis Tridentina Synodus variis hiſque graviſſimis occupationibus & negotiis tum ſanctæ noſtræ fidei dogmatum conſtitutionem & inſtaurationem, tum morum reformationem concernentibus detineatur, ac propterea ſingula quæque in generalibus congregationibus commode expediri & tractari nequeant, ſacras deputationes perſæpe facere conſuevit. Quare menſibus elapſis ipſa ſacra Synodus elegit & deputavit Reverendiſſimum Patrem & Dominum D. Antonium Fillioli Archiepiſcopum Aquenſem, & Reverendos Dominos Thomam Campegium Feltrenſem, Didacum de Alga Aſtoricenſem reſpective Epiſcopos, qui mandata & procurationes abſentium Prælatorum ac cauſſas in dictis mandatis expreſſas, ob quas ſe abſentes excuſant, proſpicere & diligenter examinare deberent, ac per eos acta in generali congregatione deinde referent. Quæ quidem deputatio ad quatuor uſque menſes conſtituta eſt. Quibus menſibus elapſis, cum ipſa ſancta Synodus aliam deputationem eadem ex cauſſa facere vellet, conſiderans animadvertenſque prædictorum Deputatorum fidem, doctrinam, probitatem, & diligentiam, eoſdem Reverendiſſimum Patrem ac Dominum D. Archiepiſcopum Aquenſem & Reverendos Epiſcopos Feltrenſem & Aſtoricenſem præfatos, in generali congregatione die Lunæ XXI. menſis Junii anno Domini M. D. XLVI. habita deputavit & elegit ad eadem, ſcilicet abſentium Prælatorum mandata: procurationem, & cauſſas, quibus ipſi abſentes Prælati impediti ad Concilium, ut tenentur, minime venire poſſe excuſantur, ac deinde quæ per ipſum Reverendiſ. Archiepiſcopum & Rev. Dominos Epiſcopos acta erunt, in generali Congregatione referant, ut deinde ſacra Synodus ſuper his deliberare & decernere queat. Quæ deputatio uſque ad primam proximam ſeſſionem ſit perduratura. Quæ omnia cum a me Angelo Maſſarello de S. Severino Camerinenſis Diœceſis J. U. Doct. & Concilii Secretario & Protonotario Apoſtolico in dicta Congregatione præſente in actis ſacri Concilii adnotata fuerint, ex eiſdem actis ſupraſcripta extraxi, ac de eis omnibus, ad quos præſentes manu mea propria ſcriptæ & ſubſcriptæ pervenerint, fidem indubitatam facio. Datum Tridenti die 12. menſis Octobr. anno Domini 1546.

Idem Angelus Maſſarellus J. U. D. ſacri Concilii Secret. & Proron. Apoſt. qui ſupra manu propria. †.

Die XX. Januari M. D. XLVII.

30. In nomine Domini Amen. Poſt celebratam V. Seſſ. ſacroſancti œcumenici & generalis Concilii Trid. die ſcilicet Jovis 17. menſis Junii anni Dom. 1546. Rever. & Illuſtriſ. DD. ipſius ſacri Concilii præſidentes & Apoſtolici de latere Legati, Patribus in generali Congregatione